

Johann Georg Dorsche Johannes Zoega

Collegii Theologici In Alma Universitate Rostochiensи Decanus Doctores & Professores, Ad Solennem panegyrin Inauguralis disputationis Post Purgatorium Papale eversum Calvinianis Deum In Causationem Peccati Trahentibus Oppositae Reverendi ... Dn. M. Johannis Zoegae, Log. & Methaph. In Acad. Hafniensi Profess. ... XV. Aug. in Actoater. maiore ... invitatis & excitatis S. P. P.

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74001031X>

Druck Freier  Zugang



R u. theol. 1656
Doersche, Johann/B
Programm zur d.n. „
Johannus Zoega



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn74001031X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74001031X/phys_0002)



COLLEGII THEOLOGICI

In

Alma Universitate Rostochiensi

DECANUS
DOCTORES & PROFESSORES,

Ad

Solennem panegyrin

Inauguralis disputationis

Post Purgatorium Papale eversum.

CALVINIANIS

DEUM IN CAUSATIONEM

PECCATI TRAHENTIBUS OPPOSITÆ

Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi VIRI

DN.M. JOHANNIS ZOEGÆ, LOG.

& METAPH. in Acad. Hafniensi Profess.

Regii & Canonici Lundensis,

XV. AVG. in Acreater. majore

Optimi Maximi DEI assistente gratia

instituendam,

ACADEMIÆ

ANTISTITIBUS, ANTECESSORIBUS, DO-

CTORIBVS, PROFESSORIBVSQVE excellentissimis, CIVIBVS

& HOSPITIBVS clarissimis, florentissimis,

itemq;

Literatis & literatorum amantibus

obsvrbanter, officiose, amice invitatis & excitatis

S. P. P.

ROSTOCHII, Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno 1656.



ACOBUS, Jesu Christi Dei & Domini servus, NON Filius Zebedæi, frater Johannis, occisus ab Herode, Ad. 12.2. quem Hispani Patronum suum elegerunt, cui Ecclesiam Compostellanam consecrarent, quiq; alias MAJOR cognominatur, uti quidem tradit Lucius Dexter in Chro- nico, ubi refert, hunc Jacobum Judæis per Hispaniam dispersis (quorum magnam co-

piam fuisse, ostensum est ex monumento lapideo part. 1. theolog. Zas char. cap. 4. §. 36. p. 35.) prædicasse, iisq; scripsisse hanc epistolam : quem sequitur versio Arabica & post hanc Mozarabes in liturgia, & illorum patriarcha Isidorus Hispalensis l. de vita & morte sanctor. cap. 73. quos citat & probabiliter sentire judicat Gasp. Sanctius Centumputeanus, tract. 3. de profect. Jacobi in Hispaniam c. 12. Syriaca translatio eandem opinionem præ se fert, dum hanc epistolam tribuit S. Jacobo, qui cum S. Petro & S. Johanne interfuit transfigurationi Christi. Tribuiturq; Sixto III. Pontifici Romano epistola de malis Dd. quæ extat Bibl. S.S. Patr. Tom. V. quæ idem de auto-re epistolæ statuit, sed notantibus Dd. Parisiensibus, Bellarmino & Baronio Cardinalibus, & aliis, Pelagiani est: Sed MINOR, Alphei filius, Hierosolymitanæ in primis Ecclesiæ intendens, frater Simonis & Judæ Apostolorum, uti confirmant testes fide digniores, Hieronymus Cat. script. Eccles. in Jacobo, Eusebius H. E. II, 22. 23. Augustinus in epist. ad Galat. cap. 2. Ambrosius in Lucam lib. 7. cap. 9. &c alii pleriq; quem duodecim elogiis, sed non omnibus satisfundatis extollit Cornel. à Lap. Com. b. l. proœm. sc. 1. quod fuerit cognatus Jesu. 2. quod ad instar Christi fuerit principaliter minister circumcisionis & civitatis sanctæ. 3. quod dictus Oblias, hoc est, munus & præsidium. 4. quod fuerit perpetuus Nazareus. 5. quod post Petrum Ecclesiæ & fidei

& fidei columna fuerit, Gal. 2. 6. quod fuerit proprius Iudeorum Pa-
stor & Patronus, 7. quod post adscensionem Christi peculiarem
quandam cognitionem cum Johanne & Petro consecutus fuerit coe-
litus, cum cæteris Apostolis deinceps communicandam. 8. quod
fuerit vitæ adeo sublimis & exemplaris, ut videretur esse speculum
& imago cœli vitæq; cœlestis, quam agunt angeli & sancti in Para-
diso; unde Christi vultus moresq; in eo quasi vero antitypo resplen-
duerint. Unde fideles post Christi in cœlos adscensum è variis provin-
ciis certatum Hierosolymam perrexerint, S. Jacobi videndi causa, ut
in eo Christum inuenientur. 9. quod raris quibusdam emergentibus
casibus aditum in sanctum sanctorum, alias soli summo Pontifici pa-
tentem, habuerit. 10. quod primus missæ sacrificium solenniter ce-
lebraverit (probare hoc satagit Corn. ex cap. Jacobus 47. dist. 1. de con-
secrat. ex synod. VI. c. 32. ubi id non dicitur, sed hoc tantum, quod
Jacobus ἔγγραφως τὴν μυστὴν ἵστησιν tradiderit. In eo ta-
men erravit Synodus, quod putat Missam, quæ S. Jacobo vulgo tri-
buitur, ab eo conscriptam esse. Conf. Mysariam Missæ cap 7. §. 23. 24.
p. 251.) 11. quod primo concilio Hierosolymitano interfuerit primusq;
post S. Petrum velut loci Episcopus sententiam dixerit. Ad. 15. 12.
quod pro Christo gloriosum obiverit martyrium. Jacobus,
inquam, ille graviter ex dictamine spiritus in audaciam pessimo-
rum respicientis scribit ep. cap. 1. vers. 13 Θεὸς ἀπέκεισθαι
εἰς νοῶν: πειράζει δὲ αὐτὸς ὁ δέρα Syriacus paraphrastes
ita reddit: אלה לא מנסי בבישתא והוא לא מנש לא מנס Tremell. & Trostius ita Syr. reddit; Deus non tentatur in malis, & ipse
hominem non tentat. Vulgatus Graeca ita reddit: Deus intentator ma-
lorum est. Ipse a. neminem tentat. Dan. Heinsius in exercit. ad h.l. Forte,
inquit, ut nonnulla ab antiquis hic emendantur, scriptum fuerat sic à
vulgato interprete: Deus n. intentator malorum non est. Deus
n. non intentator malorum est. Guil. Estius Comm. h.l. etiam suspi-
catur, pro intentator, olim intentatus scriptum fuisse. Eo autem nomine
perstringitur à Bened. Justiniano Com. h.l. p. 38. Erasmus, quem retinunt
Tigurini & Calvinus ita. Deus nec tentari malis potest, nec quenquam ten-
tatur. Beziere sequitur. Deus tentari malis non potest, nec quenquam ten-
tatur. Augustinus Marloratus in expos. Eccl. h. l. ita habet: Deus ut
malu

malis tentari non potest, ita nec ipse quenquam tentat. Des. Erasmus Anno
157. ita *ad Deum Peccatum*: Neq; n. Deus præbet hominibus occasionem pec-
candi, sed, quod ille largitur pro sua bonitate in materiam segetemq; pie-
tatis, hoc noster animus affectibus corruptus ac velut inescatus sibi vertit in
occasione exitii. Deus enim in hoc aliquando donat rerum affluentia
vitæq; commodus frui, ut ipsius benignitate provocati gratias illi agamus.
Rursus patitur aliquoties nos rebus adversu affligi, quo & nostram pietate
reddat spectacularem, & præmium augeat. Quod si res in diversum ce-
dit, nostra culpa est, non illius. Si quidem ut ipse natura bonus, nullus
malus sollicitari potest, ita neminem ad mala sollicitat. A nobis est illud
quod nobis Dei bona verit in malum. Hanc paraphrasin Anno 1539.
verbotenus retinuit & suo inseruit *Comm. b.l. Cont. Pelicanus Rubeaq.*
B. Lutherus ita: Gott ist nicht ein versucher zum bösen: Er versuchet
niemand. *MScrim. meum antiquiss. German.* ita exprimit: Wann Gott
ist nicht ein versucher der übeln. Wann er selbs versucht keinen. *Joh.*
Diettenbergius Pontificius ita. Dann *GOTT* ist nit ein versucher
zum bösen/ Er aber versucht niemand. *Piscator* ita. Dann Gott
kan nacht versucht werden von bösen Werken/ und Er versucht auch
niemand. *Belgicus interpres vetus*. Want Gott en is gecen becoorder
tot quaet. Nyen becoort niemanden. *Anglica sic repræsentat. for God can-*
not bee tempted wryth euill. neither tempreth any man. *Gallica Geneven-*
sis ita habet. Car Dieu nel peut estre tente de maux: & aussi ne tente il
personne. *Italica Johannis Deodati Genevensis* sic refert. *Concio sia co-*
the Iddio non possa esser tentato di mali, & altresi egli non tenta alcune.
In schol. addit ad verba, di mali: di peccati, cattivi affecti, movimenti:
onde non delettendosi di peccati inse, come il diavolo: non puo in durui altri.
Sociniani sic habent. Denn *GOTT* kan nicht von bösen dingern ver-
suchter werden/ selber aber versuche Er niemand. *Proponit nim-
rum S. Jacobus 1. 9. eov*, qui est unus in essentia, *Jacob. 2. 19.* quem de-
scribit, quod sapientiam & cætera dona perentibus distribuat
ἀπλῶς, simpliciter (alii legisse videntur *πλεονῶς*, Gagneius putat
Interp. Vulgatum legisse *ἀπόποις*, & ideo vertisse affluenter) sine
improperio. *Jac. 1. 5.* quod nihil dare velit dubitanti simili fluctibus ma-
ris à ventis iactatis & eorum flaminibus agitatis. *Jac. 1. 6. 7.* quod sic
pater luminum, à quo omne donum bonum & donatio perfecta,

apud

apud quem nulla est vicissitudo aut conversionis abumbratio. *Jac. 1.*
17. quod filios suos gignat verbo veritatis, ut sint primitiae creatu-
rarum suarum, *Jac. 1. 18.* quod sit Deus & Pater, purissimum & im-
macularum cultum estimans orphanorum & viduarum in calamitati-
bus harentium visitationem, & sui à mundi iniquinamentis præser-
vationem, *Jac. 1. 27.* quod elegerit pauperes hujus mundi, divites in fi-
de, & hæredes regni, quod promisit se diligentibus. *Jac. 2. 5.* quod
fuerit Abrahæ per fidem ipsum receptantis amicus. *Jac. 2. 23.* quod ad
eius imaginem homines sint formati, (quam male asserit Epiphan.
in ep. ad Johann. Hierosolymitan. p. 1105. ab Adamo non esse perditam, nec
hoc scripturam dicere, & dominium hominum in omnia quæ in
mundo sunt plane casurum, si imago Dei in homine superstes nege-
tur.) *Jac. 3. 9.* quod ab eo sit ἡ ἀριθμὸς οὐφία, quæ primum purissi-
ma est, deinde pacifica, modesta, persuasibilis, plena misericordia
& fructum bonorum, sine dubitatione & sine simulatione. *Jac. 3.*
17. quod mundi amicitia ejus sit inimica, & quod qui mundi vult a-
amicus esse, Dei inimicus constituantur. *Jac. 4. 4.* quod superbis resi-
stat, humilibus det gratiam, *Jac. 4. 6.* quod appropinquet appropin-
quantibus sibi, *Jac. 4. 8.* quod sit unicus legislator, qui salvare &
perdere potest. *Jac. 4. 12.* quod ejus voluntati vita & facta nostra
sint submittenda. *Jac. 4. 15.* quem vocat κύριος σαβαὼθ. c. 5. 4.
(quod vocabulum, sicut & Paul. *Rom. 9. 29.* retinuit, sive quod He-
bræorum auribus, ad quos scribit, id esset gratissimum. Unde in-
ter decem nomina Dei recentetur in *Aroth. c. 33.* tanquam nomen
non ἥρατο profanum, sed per se. Conf. Dav. Kimchi *Psal. 69. 7.*
Quam opinionem ab Origene assumtam etiam Epiphanius habet ad
Gnosticos heres 26. eum ait: Σαβαὼθ ἐγκυνεῖσθαι ἀπὸ τῆς ἐβραικῆς
διάλεκτου, κύριος τῶν δυνάμεων. ὅπερ γὰρ εἰ τῇ παλαιᾷ διάληξη
τὸ σαβαὼθ ὄνομα ἔστι γε γραμμένον, δύναμις ὑπόφαιρες; ὅτεν ὁ Α-
κύλας παταχή τὸ Αδωναῖς σαβαὼθ ἐγκυνίει λέγων, κύριος
σεπτῶν. Consentit Hieronym. ep. 136. Marcellam. Sed confutat
opinionem istam Joh. Drusius in *Comm. prior. ad voces Ebr. N. T. p.*
145. quia nusquam legitur Sabaoth simpliciter, sed semper Dominus
Sabaoth aut Deus Sabaoth. Conf. eund. *de nom. Eloh. p. 49.* Johann.
Buxtorf. *de nom. Dei propr. sect. 56. 58. 58.* sive ex imitatione LXX

qui passim Hebraicum recinuerunt.) Includit autem elogii istis Dei Jesum Christum, cum se vocat ε. i. i. θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ δόλων, ubi videtur Jacobus innuere, se esse servum Jesu Christi, qui est Deus & Dominus. Conf. i. Tim. i. i. Tit. 2. 13. Sane Cyrillus Alexandr. lib. 12. thesaur. cap 13. Deum, inquit, hic & Dominum Iesum Christum appellat; id enim natura esse Iesum non ignorabat prædictor veritatis. quomodo igitur audent isti Dominum & Deum natura creaturam prædicare? quem sequuntur Thomas Anglicus, Dionysius Carthus. Gregorius Prematiccius Comm. b. l. Et licet Oecumenius in Cat. Patrum. Græc. b. l. per Deum, Patrem intelligat, per Dominum Christum, tamen quia & Christum vocat Dominum absolute, & ex æquo se Dei illius & Domini servum appellat Jacobus, communio essentialis cum Deo latissim exinde concluditur. Adde quod v. 12. immediate antecedente Jacobus de Christo loquitur, cum ait, qui tolerat & vincit tentationes, eum accepturum coronam, quam promisit Dominus diligentibus ipsum, qui est δικαιος καὶ ἡγέρης 2. Tim. 4. 8. cuius epiphania est amanda. Hinc vocat eum ε. 2. i. τὸν κύρον τῆς δόξης. Et Jac. 5. 7. 8. μαρτυρίας Domini appropinquantis & in longanimitate expectandi meminit. Cæterum cum à tot beneficiis cum describit Deum & Dominum nostrum, cum creatorem hominum ad imaginem suam, cum patrem luminum, extra vices tenebratum & lucis, in summa perfectione, positum, cum autorem omnis dati dominiq; boni facit, dum redemptorem, regeneratorem, illuminatorem, inhabitatorem gratiosum, judicem coronaturum &c. constituit, totidem argumenta congerit, quibus probatur, eum esse ἀπείροτον ἥγιον. In summum enim & perfectissimum fontem aliqua mali redundantia derivari nullo modo potest. Sunnitati Dei proposita, imitatem & extremitatem oppositam II. proponit S. Jacobus. Ait eum esse ἀπείροτον ἥγιον, Ait, cum πηρόζειν ὑδέα. Quarriatur 1. quorum ἥγιον hic faciat mentionem? 2. quomodo sit Deus ἀπείροτος? 3. quomodo ὑδέα πηρόζει; Ad 1. ἥγιον nomine aliqui intelligunt impios & reprobos, quorum nulla sit apud Deum cura, cum tentatio, velut actus providentiae divinæ specialis, ad pios tantum pertineat. Allegant Clementis Rom. Diatax. Apost. lib. 2 c. 8. ubi verba Jacobi ita exprimuntur; Vir reprobis intentatus apud Deum.

Sed

Sed cum versionibus plerisq; dicitur, τῶν κακῶν nomine intelligi omnia ἀμερτίματα contra legem divinam pugnantia.. Nam uana v. 13. sunt παιχτοὶ πονίλοι, quibus & ad scelera contaminantia conscientiam & ad varias difficultates abducentes à Christianæ religionis amplexu inducebantur Christiani primitivæ Ecclesiæ. v. 2. sunt & παιχτοὶ, quorum tolerantia ad imperrandam à Domino coronam vitæ deditur. v. 12. ubi hic ex v. 12. 13. consurgit syllogismus Jacobæus. Quorum fortiter repulsorum causa Dominus juxta promissionem suam est instituturus coronationem gloriosam & desiderabilem, eorum ipse Dominus Deus autor & causa non est. Atqui temptationum sive internarum sive externarum fortiter repulsarum causa Dominus juxta promissionem suam est instituturus coronationem gloriosam & desiderabilem. E. temptationum sive internarum sive externarum (h. e.) peccatorum, Dominus Deus autor non est. Unde apparet, τῶν κακῶν nomine peccata ab Apostolis intelligi. Et sequentibus versiculis indicatur, de ijs κακοῖς sermonem esse, quæ concipiuntur trahente & inescante propria concupiscentia, v. 14 quæ concipiuntur & ad damnablem maturitatem perducuntur & tandem mortem pariunt. v. 15. Itaq; mala, tanquam alterum extremon, in universum à SUMMO BONO, summa sapientia, summa justitia, summa sanctitate, summa tranquillitate & sufficiencia, summa perfectione &c. abhorrentia S. Jacobus hic opponit Deo suo, in quibuscumq; demum personis sint. Indicatur certè ex ipsa contrapositione, satis liquere, ita nunquam duo illa extrema, summum sc. bonum, & extrellum malum ita posse consuescere, ut hoc ab illo ullo modo originem ducere queat. Consentunt præter veteres h. l. Alf. Salmeron h. l. part. 2. p. 13. Balth. Paes Comm. h. l. p. 136. Nic. Serarius Comm. h. l. p. 8. Bened. Justinianus Comm. h. l. p. 30. Joh. Lorinus Comm. h. l. p. 38. Guil. Estius Comm. h. l. p. 103. Rechèt contra eos, qui personas, non peccata intelligent, disputat l. c. Justinianus, cum ait: Hanc explicationem agrè Græca Apostoli verba admittunt: gignendi enim casus κακῶν absolute & absq; articulo positus, non facile ad personas referri potest, vel enim additus fuisset articulus τῶν κακῶν, vel πονηρῶν potius, quam κακῶν dixisset. Licet enim vox κακοῦ etiam personu aptari queat, si quidpiam præcedat, aut sequatur, quod

enim

cum sensu necessario postulat, hoc tamen loco nihil est, quod nos cogat ad personas transferre. Adde, quod ejusmodi casus neutrō genere accipiuntur, & res malas significant, ut cum Paulus ad Rom. 1. 30. dixit, inventores malorum, Græce νακῶν. Et 1. Cor. 10. 6. Non sumus concupiscentes malorum, ubi Græce est eadem vox νακῶν. Et Salomon Sap. 15. 6. malorum amatores digni sunt morte, Græce ἔργονται νακῶν. Deniq; universum videtur Apostolus docere, nemini Deum esse autorem peccati, cum illud à prava cœusq; cupiditate ortum habeat. ita Justinianus. Sed 2. quomodo dicitur tot beneficis elogiis inclutus D E U S ἀπέργετος νακῶν? Anne quod ipse nullis malis sollicitari queat, utpote omnibus superior & ejus naturæ, quæ planè est immutabilis atq; ab omni infectione libera? hoc est, passivè ne vox est accipienda? Anne activè, quod naturæ divinæ repugnet, quemquam ad mala sollicitare? Prior sententia plerisq; arridet post Erasmus, Reformatis quos vocant & Socinianis, Pontificisq; à vulgato Interpretē contra sanctionem Concil. Tridentini recendentibus. Lorinus pro ea recenset Thomam Cajetanum, interlinearem glossam, Metaphrastis in vita Jacobi interpretem, Oecumenium, Serarium. Addi potest Greg. Primaticcius, qui hanc versionem commentario suo inseruit: Deus tentari non potest malis, ipse autem neminem tentat. Accedit & Guil. Estius h. l. cum ait: Noster interpretē activè intellexit, si tamen Codices non sunt vitiati. Nam fieri potest, ut ille scriperit, intentatus, pro quo non intellecto subrepserit, intentator. Alii certè interpretē passivè exponunt, hoc modo, Deus malis tentari nequit. Syrus quoq; Deus enim non tentatur in malo. In quem sensum & Oecumenius græcu exposuit. Nec facile græcam vocem alibi reperias in activa significacione. Deniq; si activè sumas, bis idem dicetur. Glossarium vetus græcolat. ἀπέργετος, intemperabilis. Subscriptit D. Eilhardus Lubinus in paraphr. h. l. p. 13. Posterior est vulgati interpretis, & aliorum, quos in versionibus produximus. Inprimis B. Lutheri nostri. Res eodem fere recidit, sive activè, sive passivè accipiatur. Si enim passivè argumentatum Jacobum velimus, syllogismus hic erit, & valde solidus: Quicunq; essentialiter est immutabilis adeo, ut nullas tentationes recipere queat, quantacunq; sive validitate imprimantur, sive subtilitate suggestantur, is autor etiam temptationum aliis inferendarum

darum dici non potest. Ratio fortassis illa est; quia temptationis efficientia est defectio, quae in ens perfectissimum cadere nequit, atq; adeo temptationis causa esse nequit, nisi qui in se imperfectionem de pravatam habet. Atqui Deus optimus, max. essentialiter est immutabilis adeo, ut ipse nullas tentationes recipere queat, quantacunq; si-
ve validitate imprimantur sive subtilitate suggestantur. E. Deus opt. max. autor temptationum etiam aliis inferendarum dici nulla ratione potest. Sed videri possit longius quæsita illa ratiocinatio. Itaq;
simpliciter dixerimus cum veteribus, activè Deum esse ἀπέιρον νοῦν, quia nulla experientia, nullo documento, nullo exemplo constat, illum aliquando aliquem ad malum induxisse. περὶ τούτους est tentator. Singulariter ita apud Budæum Gregorius Naz. nominat.
Diabolum τὸν Ιοῦ Φωτὸς διάκτην καὶ περιστῆν. Unde ἀπέιρος, quasi non περιστερός, sicut & norante Henr. Stephano Tom, 3. thes. p. 156. ἀπέιρος est, qui experientiam non cœpit aut fecit. Et hoc immediatum esset probandi fundamentum: Deus hæc denus semper erga genus humanum ita se gesit, ut apparuerit ἀπέιρος νοῦν.
Ergo nemo tentatus jure dicere potest, quod à Deo tentetur. Et obser-
vamus, vix uspiam extra Jacobum vocab. ἀπέιρος apud veteres scriptores reperiri. Ergo 3. quod addit S. Jacobus, περὶ τούτων δὲ
αὐτὸς ἐδέι, confirmatio est antecedentis, nec bis idem dicitur.
Primum enim naturam Dei explicat, quod sc. sit ἀπέιρος νοῦν,
h. e. ita comparata, ut tentationes illæ pravæ ab illius decreto &
beneplacito nullo modo possint proficiunt, imo ea penitus ab illis ab-
horreat ob summam & infinitam sanctitatem. Deinde ad actum,
ipsum deducit, & provocat ad experientiam, ex qua nullo modo e-
videns esse possit, Deum esse gravissimum temptationum autorem,
suggestorem, dictatorem. Et δὲ nobis non contrariatur, nec fa-
cit, ut ἀπέιρος passim accipiendum sit, quia adversativa δὲ τὸ
περιστερόν ab eo distinguit. Notum enim est & jam olim notatum,
δὲ non semper adversativè sumi, sed & aliquando confirmative, pro-
sanè, nimirum. Gal. 2. 4. Col. 1. 21. Conf. Henr. Stephani Animadvers.
in lib. de dialect. artic. 33. p. 27. Glassium philol. sacr. lib. 4. tract. 7. can.
14. p. 573. Unde sensus planissimus; summum bonum, Deus Deorum,

sanctissimus, optimus, sapientissimus; alienus est ab omni commercio cum tentationibus homini inferendus. Et sane utiq; neminem tentat ullus actus, qui in Deum referri possit. Agnoscit hanc interpretationem David Paræus Comm. b. l. Tom. 4. operum p. 545. cum ait: Græcè ἀπέιεται οὐτοῦ κανόν, ad verbum est, intentabilis malorum, vel malus, quod intelligi debet activè & passivè, quod Deus nec afficitur ipse malus, quia ipse est perfectissimè bonus, nec suadet alii malum, quia est effector omnium boni, ut sequetur v. 17. Neminem igitur tentat ad mala. A quo enim Deus abhorret natura, quomodo ad id incitaret & sollicitaret alios? Ideo adversativam dē pro ἐ accipio, Deus est intentabilis malis, Neminem igitur tentat ad malum. Nemo enim agit contra naturam, alioqui se destrueret Ita Paræus. Rotundel loquitur Q. S. Florens Tertullianus de Orat. c. 8. p. m. 122. Abst, inquit, ut Dominus tentare videatur, quasi aut ignorret fidem cuiusq; aut deicere sit consentiens. Diaboli est & infirmitas & malitia. Nam & Abraham non tentandæ fidei gratia sacrificare de filio iusserrat, sed probanda, ut per eum faceret exemplum præcepto suo, quo mox præcepturus erat, neq; pignora Deo chariora habenda. Ipse à Diabolo tentatus præsidem & artificem tentationis demonstravit. Multum ergo à veritate coelesti, imo à consideratione Majestatis & sanctitatis Dei obceunt, qui REFORMATI audire gaudent, cum περισσούσι νεων in ipsum etiam Deum referunt. Horride Hieron. Zanchius de natura Dei lib. 5. c. 1. Tom. 2. oper. p. 459. Quod creatus fuerit Satan, qui hominem tentaret, atq; etiam vinceret, & in peccatum cum totogenere humano pelliceret, totum hoc ex magna Dei providentia profectum est. Petr. Martyr in Lot. Comm. Class. 3. cap. 1. §. 37. pag. 462. Porro, inquit, de Adamo, videbat Deus ipsum casurum, si spiritu & gratia opulentiori non confirmaretur. Non occurrit, non supposuit manus suam, ne caderet. Diabolus præterea, nisi Deus voluisse, illum non fuisset ausus tentare. Destinaverat præterea suam bonitatem & severitatem ex illa declarare, occasionem dedit, legem dum posuit, quam sciebat non servandam, nec non uxori dando, quæ aliceret. Et deniq; actio ipsa, quæ privationem rectitudinis ut subjectum sustinuit, citra Dei vim & virtutem produci non potuit. Unde apparet, Deum illud peccatum quodammodo voluisse, ac ejus quadamtenus esse AUTOREM, licet non fuerit pena præcedentis peccati. Conspirat Lambertus Danæus, de

Orat.

Orat. Dominic. cap. 16. p. 608. oper. cum ait: Qui vero inducas inter-
pretantur, ut significet duntaxat, ne finas, aut ne permittas nos indu-
ti, labi, impeli, et si illi sunt Patres, uti Cyprianus & Ambrosius, vel
Scholastici & veteres, ut Anselmus: tamen non satis vim horum verborum
capiunt, vel explicant. Dicitur enim Deus concitasse Davidem & impu-
llisse, ut populum numeraret. 2. Sam. 24. Non simpliciter enim sivit Deus
& permisit Deus id fieri, sed ipse etiam voluit & quidem justè & sapien-
ter, ut illa fierent. Et p. 609. Col. 2. Ex quibus intelligitur, quemad-
modum Deus non sit autor peccati, etiam dum IMPELLIT homines in eas
TENTATIONES, quibus succumbentes ipsi peccant. Quomodo Domi-
nicanii, qui statuunt, Deum ad omnem actionem peccati, qua actio
est, physice prædeterminare voluntatem humanam, locum Jacobi op-
pugnant, latissimè persequitur Didac Ruiz de Montoya de voluntate
Dei, disp. 37. tota, ubi ostendit, physice prædeterminare materialem
actionem, odii e. g. vel blasphemiae, esse supremum temptationis genus.
Sed ista nunç non attinet latius persequi. Collimat ad agendum cau-
sam Dei contra eos, qui temptationum malorum ex capite vel crea-
tionis, vel providentiæ, vel prædestinationis, vel liberi arbitrii Opt.
maximum causam & autorem constituunt, Reverendus plurimus,
clarissimus & excellentissimus VIR, Dn. M. JOHANNES ZOEGA
Logic. & Metaph. in Acad. Hafniensi Professor Regius celeberrimus, Can-
onicus Lundensis meritissimus, SS. Theol. Candidatus dignissimus, Dn Ami-
cius & in Christo frater noster dignissimus, in disputatione ea, quam
inauguralem, h.e. secundi publiciq; examinis pro futuram in theolo-
gia honoribus imperandis subeundi materiam esse voluit. Quam
enim cum laete quasi materno hausit pietatem & veritatem in Or-
thodoxa Ecclesia genitus, eandem, cum progressu ætatis ex docu-
mentorum evidentissimorum varietate confirmatam vidisset, & ha-
cenus data occasione multoties publicè docuissest ac defendisset,
hac vice dignam judicavit, in qua amplius quidpiam elaboraret. Na-
tus est autem, ut genitiram ejus in orthodoxa Ecclesia, tanquam
non exiguum felicitatis humanæ partem, paucis attingamus, in Chri-
stianissimi DANÆ regni metropoli HAFNIA, Anno post Christum
natum cl. 15 c. lxx. Anno regnani maximi REGIS Christiani IV. XXI.
Parentem habuit Virum spectatissimum & honoratissimum Dn. JOHAN-
NEM ADOLPHUM ZOEGAM, Civem Hafniensem: Matrem pien-
tissimam

tusimam & decoratissimam matronam THYRAM ELLENBER-
GERIAM, sexus sui ornamentum. Sub horum oculis, magna-
sollicitudine & suspitorum ardentissimorum ad Deum effusione,
per elementa Christianæ religionis & linguarum artiumq; rudimenta
exercitatus fuit, PRÆCEPTORUM diversorum dexteritate, &
adminiculante indolis felicitate, in PATRIA, ad Annum Chr. c̄lo Ic
XXV. quo studia ampliora præsidia requirere videbantur. Itaq; eo
anno WITTEBERGAM, clarissimum omnigenæ eruditio[n]is em-
porium, de suorum consilio adiit. In alterum usq; annum cum ibi
pulcherrimis studiis litasset, Anno Christi c̄lo Ic XXVII. HAFNI-
AM rediit, Excellentissimorum ejus Universitatis REGIÆ Professo-
rum usus opera ad augmentum studiorum suorum amplius. Fecit
ardor & ingenium ejus excellens, fecerunt inclita, quibus eminebat,
dona, ut curatoribus boni publici observaretur maxime, tanquam
ille, qui publicè mox futurus esset utilis. Quapropter Anno Chr.
c̄lo Ic XXIX. ad Scholæ Wiburgensis in Cymbria administrationem
evocatus est, traditurus juventæ, qua ipse adolescens præclarè didi-
cerat. Perstitit in eo officio obsequioq; superiorum usq; ad Annum
Chr. c̄lo Ic XXXI. Eo verò exorsus est pulcherrimum & memora-
bile curriculm, quod exeunte fere Anno Chr. c̄lo Ic XXXIX. de-
mum terminavit. Neq; enim desultoriè, sed ut in usum suum
translaturas, quicquid passim præclararum ad doctrinæ augmentum
pertinere censuit, peragrat BATAVIAM, ANGLIAM, SCO-
TIAM, GALLIAM, conciliavitq; sibi passim viros incomparabi-
les, quorum nomina adscriberemus, nisi sua radiarent luce. Domum
reversus ita se ACADEMIÆ patriæ exhibuit, ut omnibus commen-
datus maximè redderetur, qui & anteriora ejus studia in animum si-
bi revocarunt, & hæc nova augmenta respexerunt. Proinde, ut
haberet occasionem exerendæ doctrinæ multiplicis, facultatem in-
stituendorum collegiorum, ut vocant, Philosophorum ipsi con-
cesserant DNN. PROFESSORES PHILOSOPHI, quam-
collatis Anon c̄lo Ic XXXIX, honoribus Magisterii luculenter ob-
signarunt. Brabeuta fuit Vir clarissimus & excellentissimus Dn. M.
JACOBUS FINKIUS, Philosophia naturalis Prof. Regius celeber-
rimus, Colleg. Philosoph. isto tempore Decanus amplissimus, Acad. Hafnien-
sis Senior venerandus, ceteroquin Jurisprudentiae & Medicinæ egregia noti-

tia

tia laudatusimus. Nondum tranquillari tamen poterat animus Excellentissimi Dn. ZOEGÆ, quin ad ea loca reverteretur, in quibus singularis doctrinæ aureas quasi venas prius animadverterat. Igitur Anno Chr. clo lœc XL. excurrit denuo in BRITANNIAM, fœcundissimam optimorum ingeniorum olim matrem & omnis eruditioñis uberrimum promtuarium. Lustratis amœnitatibus & ratitatis Londinenibus, in Academis præcipue CANTABRIGIENSIS & OXONIENSIS florentissimis substitutis usq; ad Annū a Chr. nato clo lœc XLII. Fuerunt illæ instructissimæ abundantissimis pretiosissimisq; BIBLIOTHECIS, fuerunt viris undiquaq; doctissimis refertæ. Trahunt istis bonis incomparabili quædam validitatē egregias mentes, qui iis abundant. Excellentissimus Dn. M. ZOEGA noster Anno Chr. clo lœc XLII. demum, ut diximus, ab istis amœnitatibus potuit avelli, & à se impetrare, ut domum reverteretur. Cum vero illum recuperasset patria, arctius sibi obligandum existimavit. Jussit ergo Academia Regia cum Clarissimi & Excellentissimi Viri, Dn. FRIDERICI ANDREÆ, Prof. Regii designati vices agere & locum implere, quod ab ipso fieri posse omnium optimè arbitrata est. Cum vero naturæ debitum solvere jussus esset Vir optimus, dignissimus sanè, qui diutius debitor esset & largo faenore remp. literariam ditaret, *Ordinarius Logicae & Metaphys. Professor*, uti meruit, pronunciatus est noster Dn. M. ZOEGA. In hac Academiam Regiæ palæstra positus omnium sibi favores ex laboribus utilissimis & perpetuis conciliavit. Certe Potentissimum Serenissimumq; Principem ac Dominum Dn. CHRISTIANUM IV. glorioissimæ memoriae Regem &c. &c. &c. tam clementem expertus est, ut Anno Chr. clo lœc XLIII. eum Canonicatu, ut vocant, apud Capitulum Lundense in Scania magnificentissimè donaverit. Sic constituta re literaria firmisq; posita fulcimentis, rem familiarem etiam instituere Excellentiss. Dn. M. ZOEGA noster cogitavit. Injectus est in mentem ipsius castissimus amor erga nobilissimam omnibusq; ornamenti conspicuam Virginem BARBARAM, neptem viri Reverendissimi & Excellentissimi Dn. D. JOHANNIS PAULI RESENII, Sielandia Episcopi eminentissimi, Filiam autem viri Amplissimi & Excellentissimi, Dn. ERICI CLEMENSIS, v. f. D. clarissimi, Canonici Lundensis dignissimi. Amplissimis illis necessitudinibus innexus non desit & maneris & familijæ augere

decora. Unde & GENEROSISSIMIS REGNI PROCERIBUS
ipsius commendata fuit industria, quorum singulari favore ipsi ser-
vata est Serenissimi Potentissimiq; REGIS sui FRIDERICI III. Regis
& Domini nostri clementissimi gratia. Quia verò totum Academicæ
vitæ sive studiorumq; curriculum sacrosanctæ theologicæ studio po-
tissimum consecraverat, non desit suis philosophicis meletematibus,
quibus Academiam Regiam subinde illustravit, etiam theologica ad-
sperrgere. Ancilla enim philosophia est, & Dominæ suæ Reginæq;
Theologicæ memor, ex floribus ejus aliquid decerpere gestit. Hinc
factum est, ut, cum aliquando, veræ Theologicæ intolerabile ~~annus~~^{anxus} pia,
animarum ex corporibus suis beatè excedentium PURGATORIUM
IGNEM inter Chimærica deliramenta & Phantasticas opacitates, uti
meretur, numerasset, LOJOLITAM aliquem (forte ex eorum censu,
de quibus Claudio Aquaviva Generalis Præpositorus Societatis in In-
dustriis de curandis morbis Societatis, libro edito Romæ A. 1616 cap.
I. p. 97. loquitur: Secularitas & Aulicismus, insinuans in familiaritates
& gratiam exteroram, MORBUS est in societate & intra & extra peri-
culosus, & istis, qui eum patiuntur, & nobis fere nescientibus subintiat,
specie quidem lucrisiendi Principes, Prælatos, Magnates, conciliandi ad
divinum obsequium hujusmodi homines societati, juvandi proximos, sed
REVERA querimus interdum nos ipsos, & paulatim ad secularia de-
flectimus. Videantur plura apud Sanctum Galindum in Anat. Societ.
Jesu pag. 9.) adeptus esset adversarium, qui ingenti verborum di-
arrhoei totum auditorium perfuderat, & Christianissimi FRIDERICI
REGIS, SENATORUMQUE REGNI aures stentoreo clamore
compleverat. Hanc occasionem, quam præsentissimo animo in de-
fendenda Dei causa tenuerat, ita sibi ob oculos haec tenus collocavit,
ut Theologica studia sibi abundantius tractanda esse existimaverit.
Itaq; & PAPISMUM & CALVINISMUM, Christianæ Ecclesiæ
vibices & maculas, penitus sibi intropisciendos sumvit. In PAPIS-
MO omnia doctrinarum monstra ad PURGATORIUM inflammandum
aut sufflaminandum concurrere deprehendit; in CALVINISMO ad
ABSOLUTIUM DECRETUM, quo in Deum CAUSA PECCATI derivatur.
Hæc cum per tempus bene longum volutasset animo, & Lojolita-
Sylvis Danicis nonnihil infeliciis lolii inseruisset, cum & Amicorum
accederent consilia, & augusta etiam noa deessent patrocinia, quid-
piam

piam in illis argumentis commentari & Academiæ alicujus censuræ cum universis studiis suis exponere voluit, ne JESU male cohærens socius sibi imaginaretur, quasi domesticis tantum suffragiis atq; plausibus ipse niteretur. Pensiculatis omnibus, & communicatis etiam nobiscum consiliis, tandem nostram elegit UNIVERSITATEM, in qua de studiis scriptisq; suis theologicis CENSURAM sustineret, & honores Academicos ulteriores expeteret, obtineretq;. Existimavimus hoc esse BONUM FACTUM, qui jam olim propensiissimi fuimus, ut & REGIÆ ACADEMIÆ obligari possemus arctius, & doctissimos ex vicino Regno Viros studiis nostris complecti, & juventuti ad egregium publicum efflorescenti industria nostra servire, & deniq; omnibus viribus eniti, ut Potentissimo Serenissimoq; Regi nostram contestaremur observantiam pietatemq;. Meminimus majorum nostrorum ingentis fiduciae erga Majestatem Regiam Danicam, in juvanda conservatione Rostochiensis Academiæ, de qua Concordia form. §. Es sollen auch luculentum præbere potest testimonium. Itaq; cum amplissima officiorum nostrorum oblatione Cl. Dn. M. ZOEGAM ad nos invitavimus. Venit ergo ad nos dilectissimus hospes H. Augusti prid. Dom. IX. post Trinit. Aperiuit ipsi ad primum examen, seu potius prius placidumq; colloquium de universo corpore biblico & Augustanæ Conf. Symbolo, aditum VII. Augusti. In quo cum testatus nobis esset lectionem multiplicem, judicium promptum, confessionem sinceram, ulterius ipsi progrediendi & ad publicum examen sese sistendi fecimus potestatem. Sistet ad id se proposita inaugurali disputatione, quam nuncupavimus, ad diem XV. Augusti, Deo sospitante! Rogamus observanter, obnoxie, amicèq; OMNES, quos in frontispicio compellavimus, ut actui religioso frequenter benevolesq; interesse velint, & præcipuum ex vicino regno HOSPITEM complecti. Dominus JESUS dirigat omnia ad throni sui gloriam, ad Ecclesiæ dissociatæ stabilimentum, ad veritatis salvificæ propagationem, & ad errantium conversionem. Floreat REGNUM DANÆ! Floreat sacratissima Regia Majestas! floreat augustissimus regni Senatus! floreat Academia Hafniensis incluta! Floreat subiitis & in ista Dn. Candidatus noster! Et nos istis fragrantissimis floribus etiam in ROSTOCIO nostra recreemur! Fiat! ô JESU fiat! Perscriptum & sigillo nostro firmatum Dom. X. Trinit. A. O. R.

clo 15c LVI.

VI scilicet



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn74001031X/phys_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74001031X/phys_0019)






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn74001031X/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74001031X/phys_0020)



piam in illis argumentis commentari & Academiæ alicum universis studiis suis exponere voluit, ne JESU m
 socius sibi imaginaretur, quasi domesticis tantum suffr
 sibus ipse niteretur. Pensiculatis omnibus, & commu
 nobiscum consiliis, tandem nostram elegit UNIVERSIT
 de studiis scriptisq; suis theologicis CENSURAM sustinere
 Academicos ulteriores expeteret, obtineretq;. Existit
 esse BONUM FACTUM, qui jam olim propensissimi f
 REGIÆ ACADEMIÆ obligari possemus arctius, & docti
 cino Regno Viros studiis nostris compleeti, & juvenu
 um publicum efflorescenti industria nostra servire, & de
 viribus eniti, ut Potentissimo Serenissimog; Regi nostram c
 observantiam pietatemq;. Meminimus majorum nost
 ris fiducia erga Majestatem Regiam Danicam, in juvati
 one Rostochiensis Academiæ, de qua Concordia forn
 auch. luculentum præbere potest testimonium. Itaq;
 sima officiorum nostrorum oblatione Cl. Dn. M.
 ad nos invitavimus. Venit ergo ad nos dilectissim
 Augusti prid. Dom. IX. post Trinit. Aperiimusipſi a
 examen, seu potius pliū placidumq; colloquium
 corpore biblico & Auguſtanæ Conf. Symbolo, a
 Augusti. In quo cum testatus nobis esset lection
 em, judicium promtum, confessionem sinceram,
 progrediendi & ad publicum examen fereſtendī feci
 tem. Sistet ad id le proposita inaugurali disputatione
 cupavimus, ad diem XV. Augusti, Deo sospitante! Ro
 vanter, obnixè, amicèq; OMNES, quos in frontispicio
 mus, ut actui religioso frequenter benevoleq; interesse v
 cipuum ex vicino regno HOSPITEM complecti. E
 SUS dirigat omnia ad throni sui gloriam, ad Eccle
 stabiliſſementum, ad veritatis salvificæ propagationem, &
 conversionem. Floreat REGNUM DANIAE! Floreat fa
 Regia Majestas! floreat auguſtissimus regni
 floreat Academia Hafniensis incluta! Floreat sub
 Dn. CANDIDATUS noster! Et nos iſtis fragrantissimis florib
 ROSTOCHIO nostra recreemur! Fiat! ô JESU fiat! Pe
 & ſigillo nostro firmatum Dom. X. Trinit. A. C
 elo loc LVI.



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. _____